



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

206. feria 4. de Vitio Avaritiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

Feria 3. Domin. 5. post Pentecost. 369

spuam. 4. Si castitatem amem, zelem, & in nullo lædi permittam. 5. Si sensuum portas, tactum, & visum custodiam. 6. Non tantum alia corpora, sed memetipsum erubescam. 7. Si circumspæctus sim in hac parte, & me infirmum agnoscens, etiam minimam turpitudinis occasionem fugiam. Accusabo me coram Domino JESU, puritatis amantissimo, de imperfectionibus in hac parte commissis; Abominabor hæc peccata, propter dictos effectus, statuam sensus cohibere, cogitationem frenare, corpus affligere, minus puras familiaritates vitare, principio tentationis obstare, ab omni impuritate continere. **Petam hoc magnum DEI donum.**

MEDITATIO CCVI.

Feria 4. Domin. 5. post Pentecost.

De vitio Avaritiæ.

PONAM mihi ob oculos sub imagine hydropici inordinatum habendi appetitum. **Petam eum agnoscere, & vitare.**

Conf. 1. Avaritiam esse immoderatum appetitum acquirendi, vel retinendi bona temporalia; qui non est in eo, qui quantum, & quando, & quomodo oportet, velut aliquid temporale juxta necessitatem naturæ, vel status sui; sed in eo, qui dissentiens restat

Q 3 rationi

366 Fer. 4. Domin. 5. post Pentecost.

rationi res temporales concupiscit: Sive id indebitè fiat, cum injuria proximi, sive sine injuria alterius, sed nimis inordinatè res temporales, sive acquirendas, sive retinendas expetendo: quæ propriè avaritia est, divina, ac cœlestia negligens, ut terrena possideat: prohibetur Matth. 6. *Nolite solliciti esse in crastinum.* Laborant hoc vitio, qui totum sunt in eo, ut necessaria sine ulla mensura procurent. Qui necessaria cum immoderato affectu possident, ex quo sequitur inquietudo, anxietas, & amaritudo. Qui res curiosas, & non necessarias desiderant, vestes, libros, apparatus cubiculi.

Conf. 2. Remedia hujus vitij esse: 1. Agnoscere malitiam avaritiæ: *avarus nihil est sceleratissimus.* Eccles. 10. 2. Rerum visibilium brevitatem, quæ si quotidiano usu non insumentur, vel per vim eripiantur, ipsâ suâ corruptibilitate putrescunt: Si verò ipsæ se non subtrahant, possessor vitam deserens eas nolens, volens, relinquere cogitur. 3. Bona temporalia nec capacitatem mentis explent, nec aviditatem exsatiant, licet sint copiosissima. 4. Christi, & Sanctorum exempla, ad omnium rerum contemptum invitant. 5. Spes in Domino collocanda, ac de ejus suavissima providentia confidendum. 6. Recedendum à consortio cupidorum, qui solo corpore, non

Q 4

mente

mente temporalia neglexerunt, abundantiam & splendorem divitum amant, & nihil in cibo, potu, indumento refugiunt, nisi ob cuius admissionem riderentur. 7. Debemus mundo mortui esse: at si prodigium, aliquem mortuum è sepulchro surgere, opibus, aut curiositatibus repleri: Simile prodigio sic mundo mortuum secularia concupiscere, spes, & curiositates, omnemque superfluitatem.

Conf. 3. Indicia extinctæ avaritiæ esse. 1. Si divitias ex consilio Christi libenter in pauperes distribuam. 2. Si nec obolum ad proprias necessitates sublevandas custodiam: sed in benigna præsidum cura, ac in Domini providentia confidam. 3. Si superflua respiciam, necessaria sine anxietate concupiscam. 4. Si occurrentes necessitates, ac indigentias hilariter, & æquanimiter sustineam, 5. Si pro necessitatibus ultra mensuram nõ solliciter. 6. Si gratis dem, quod gratis accepi. 7. Si religiosus sum, ne ordinis instituta, ad paupertatem pertinentia, ullo prætextu labefactari sustineam. Accusabo me, odio habendo lapsus, proponendo superflua retinere, necessaria sine cordis adhesionem tenere, & ad penuriam sustinendam paratus esse. Postulabo à DEO, ut illum solum quæram.